

qvandoq; vide: n conversis ex Iudaismo imbecillioribus, qui morte Christi turbabantur, neq; fieri posse credebant, ut qui mortuus esset, promissionem æternæ hæreditatis impleret, ostendendum erat, quod aliò modò non potuissent hæreditatem & promissionem accipere, nisi mortuus fuisset Christus, quæ Oecumenii sunt in dict. loc. Epist. ad Hebr.

## §. VI.

**R**ES ita se habet, qvum pactum cum Abrahamo Deus erigeret, se ex ipsius posteris semen benedictum suscitaturum pollicebatur, in quô omnes gentes benedicendæ erant; patuit vero per Prophetias, ipsiq; Abrahamo factam præsignificationem, illud semen non nisi morte interveniente, quâ maledictionem sublaturum erat, allaturum orbi benedictionem; hinc etsi expressè in formulâ pacti cum Abrahamo non dicta, tacitè tamen subintellecta fuit hujus seminis, quod Christus est, mors interventura, quemadmodum eventu deinceps comprobatum est, & expressè id Apostolus docet Gal. III. 13, 14. Christum nos redemisse à maledictione legis, cum execratio pro nobis factus est pendens in ligno, ut in gentes benedictio Abrahami veniret in Christo Jesu, ac ut promissionem Spiritus acciperemus per fidem. Non poterat ex pacto Legali sive operum, hæreditas vita homini